


05

A

311





2  
Exercitationum Politica-

rum, nobiliores controver-  
fias expendentium

SECUNDA

*Quam*

D. O. M. A.

*In celeberrimâ Electorali ad Albim*

*Academia*

PRÆSIDE

M. JOHANNNE OLEARIO

Hallens. Sax. Amplifs. Facult. Philo-  
foph. Adjuncto

*Publicè ventilandam proponit*

CHRISTOPHORUS ELERDUS

Berlinensis Marchicus,


*In Auditorio Minori, ad diem 23. Aprilis  
horis Matutinis*



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

—  
Anno MDCXXXVI.



V I R I S

*Amplissimis, Consultissimis, Spectatissimis  
Prudentissimis & Doctissimis*

**DN. IOHANNI WEDZGEN /**

Consuli Reipubl. Svevo-Coloniensis lau-  
datissimo, Civitatum in Meso-Uccero - Ru-  
pino - Marchiâ Tribuno ordinario.

**DN. BENEDICTO REICHARDO,**

Camerae Electoral: Brand: Advocato feli-  
cissimo, & inclutæ Reipubl. Berlinensis  
Consuli meritissimo

**DN. ERASMO SEIDELIO,** Camerae

Electoral: Brand: Advocato felicissimo, &  
laudatissimæ Reipubl. Berlinensis Syndico  
spectatissimo,

*Dominis Mæcenatibus ac Fautoribus, Promotoribus  
atq; Affinibus suis omni observantiæ cultu ac  
vultu perpetim. venerandis, & colendis,*

Collegii huius disputationem secundam cen-  
publicum gratitudinis & observantiæ  
testamen dicat & consecrat

**CHRISTOPHORUS ELERDUS**

Respondens.



## QUÆSTIO I.

### *An familiam considerare sit Politici?*

**D**Ubitant nonnulli, quia id proprium sit Oeconomi, namq; familias *Ulpianus* dicit esse plures personas, quæ sunt sub unius potestate, aut natura, aut jure subjectæ, ut puta Patrem familias, matrem familias, filium familias, filiam familias, quique deinceps vicem eorum sequuntur, ut puta nepotes & neptes, & deinceps. *L. 195. §. 2. ff. de verb. signif.* Nihilominus tamen asserimus: Considerationem familiae, quatenus ea seminarium civitatis est, omninò pertinere ad Politicum. Idque probamus, quia familiæ sunt veluti fons & origo, officina ac rudimenta Rerum omnium publicarum. Hinc enim triplex potestas sc. 1. conjugalis seu maritalis, mariti in uxorem. 2. patria, patris in liberos. 3. Herilis seu dominica, domini in servos oritur. *vid. Könick Theatr. polit. c. 1.* (ubi simul cognatæ questionis videri potest decisio: Quotnam persone requirantur ad familiam? scil. ex analogiâ ad collegia dicendum videtur: Paucioribus quam tribus personis familiam constitui non posse, licet duabus conservetur juxta *Ulpianum, Arniseum l. 1. polit. c. 2. Et b. 1. de Republ. c. 13.*) Ex quibus ad argumenta contraria facilis est responsio, si cum *Zabarellâ* inter subjecti sive objecti tractationis materiale (quod commune esse potest v. g. Homo à Physico, Ethico, Politico, Medico, Icto &c. consideratur) & formale sive considerandi modum probè distinguatur. Namq; Oeconomus quidē familiam considerat, quâ privatis includitur terminis, & peculiarem habet prudentiam, quæ moderatur uxores, imperat servis, educat liberos & rem cautè potest parare, parta sollicitè tueri, & quæsitis frugaliter uti domus & familiæ servandæ causa. Politicus verò peculiariter familiam considerat, quæ pars & seminarium civitatis est & communi Reipubl. juri subjicitur, idq; salutis communis gratia. *Confer Heider. c. 1.*

A 2

QUÆST.

## QUÆSTIO I I.

### *An societas conjugalis in natura fundata sit ?*

*Μισόγαμοι* atq; præposterii conjugii ofores & rofores, qui cum Diogene Cynico optarent, ut omnes mulieres de arbore suspenderentur, *conjugium*, non tantum è vita communi *eliminandum*, & ad bestias damnandum, sed etiam infra infimas terras amandandum esse blasphemè clamitant. Idq; 1. *ob varias difficultates & molestias*, quas abundè docet experientia. 2. *ob incommoda infinita*. Quot enim sunt, quos conjugium & liberorum cura facit avaros, apostatas, otiosos, negligentes, & ad omnia Reipubl. præstanda officia inertes. Neq; enim qui privatas quærit utilitates, debitâ curâ publicas attendit. Verum hisce posthabitis hanc ponimus *assertionem*: *Conjugium ipsum DEUM autorem habens in ipsa natura naturam & naturata, que conjunctionis appetitum procreandi causa omnibus animantibus, ἀλογον quidem brutis ἔλλογον verò hominibus indidit, originem suam & fundamentum habet firmissimum ac immobile. Confer Aristot. l. I. Oecon. c. 7. I. Polit. c. I. 8. Ethic. c. 12. Quod probamus 1. ex appetitu naturali, quem modo debito, honesto & convenienti non nisi conjugium retinet. 2. à fine. Instituta enim est conjugalis societas ad generis humani propagationem, & ut vir & mulier mutua sint sibi adjutoria. Ex quibus *responsio ad argumenta contraria* facile patet. 1. enim *ingenere μισογάμοις* reponimus gentium nonnullarum usurpatis in cœlibes justas animadversiones. *Corinthii* cœlibes honore sepulturæ privabant. *Argivi* ex instituto Phoronei nullis muneribus præficiabant. *Lacones* rigidius eos plectebant; nam & mediâ brumâ ex Magistratuum edicto jubebant forum vestibibus spoliatos obire, & ita circum-euntes cantione quadam fatebantur se justa pati, quod legibus non parerent. *Plutarch.* in *Lycurg.* Apud *Athenienses* Festo die quodam à mulieribus circum aram tracti cœlibes cædebantur flagris, qua ex ignominia ad dandam liberis operam excitarentur.*

7  
tarentur. Scalig. 3. Poët. c. 101. Confer Schönborn l. 1. pol. c. 6.  
2. in specie Respond. ad argumenta 1. & 2. utrumq; fallaciâ acci-  
dentis laborare. Confer ea quæ in simili casu Respond. ad  
questio 3.

### QUÆSTIO III.

#### *An Politicus approbare possit ince- stos concubitus?*

Esse quædam conjugia non concessa, adeoq; improban-  
da ipsa natu a ostendit. Prohibitio autem illa vel *jus Divinum*,  
respicit, vel humanum ac positivum Hujus ergo prohibitio est  
vel *Ecclesiastica* (aliàs canonica) vel *Politica*. Hæc iterum est  
vel *juris civilis communis* vel *provincialis* ac *municipalis*. Quan-  
do violatur *jus divinum*, nuptiæ vocari solent *incestæ ac nefariæ*.  
Cum verò, *jus humanum*, *illicita* appellantur §. ergo non omnes,  
*Instit. de nupt. Incestas* vero dici putat *Isidor. l. etymolog.* quod mi-  
nimè castæ sint: alii verò rectius dictas existimant quasi *ἀνέσγες*  
*sine cestis*. Erat n. *cestus* cingulum Veneris ex lanâ confectum,  
quo nova nupta præcingebatur, quod vir solvebat boni ominis  
gratiâ, ut in suscipiendis liberis felix esset. *Nefariæ* verò  
dictæ putantur, quod contra fas, h. est, *jus divinum*, naturale  
& gentium sint contractæ aliis inde, quod qui tales nupti-  
as contrahunt, farre, h. e. vitâ sint indigni) Quanquam verò  
plerunq; *Incestæ* & *nefariæ* nuptiæ dicantur promiscuè,  
quæ sunt contra leges divinas contractæ, *Aldobrandinus* tamen  
notat, *nefarias nuptias* propriè dici, quæ inter *ascendentes* & *descen-*  
*dentibus* contrahuntur, *incestas* verò, quæ inter *collaterales* in *veritis*  
*gradibus* sunt. De his ergo queritur, *an Politicus ex recta ratione*  
*judicans* (quæ enim hac de re *Bellarminus* disserit *libr. de matrim.*  
*cap. 24. & seqq. ea Theologi* suo loco expendunt, imprimis *Ger-*  
*hard. de conjugio* §. 308) *incestos ejusmodi concubitus approbare pos-*  
*sit?* *Dubitari* poterat 1. ob gravissimam *Philosophorum autori-*  
*tatem*. Affirmat enim *Plato. l. 5. de Republ.* & in initio *Timæi*.  
*Quem secuti sunt Stoici*, ut refert *Diogenes in vita Zenon.* & au-



tor est *Chrysoſtomus in libr. advers. gentes*: Zenonem quoq; legem tulisse, quæ Patres cum filiabus, filios cum matribus, fratres cum sororibus coire permittat. 2. *ob exemplorum copiam & ubertatem*. Testatur enim *Alexand. ab Alexandr. l. 1. genial. dier. c. 24.* apud non nullos Indorum gentes, Arabes, Persas, Maurosq; ac Magos & Babylonios filios matres ducere uxores, & cum parentibus coire &c. Plura ex *Plutarcho, Theodoro, Natali Comit. l. 5. c. 16. Suida, Macrobio, Dositheo, Aristide, Statio, Ovidio, Celio, Lærtio, Josepho, Tacito, Sabellio, Martiali, Virgilio, Herodoto, Sexto Aurelio Victor. Ammiano Marcellino, Aventino, Chalcondila, Polydoro Virgilio, Ludovico Vive, Pausaniâ, Erasmo, Theocrito, Lucano, Sostrato, Svetonio, Lampridio, Cuspiniano, Fulgoso, Egnatio, Livio, Strabone, Juvenali Niceta, Trithemio, Ganguino, Guicciardino, Zonara, Ravasio &c.* vide apud *ZWingerum in Theatr. vitæ human. volum. 9. l. 3. fol. 2306. & seqq. Arnobium libr. 8. advers. gentes. Alexandr. ab Alexandro l. 1. gen. dier. c. 24.* Verum non obstantibus hisce hanc ponimus assertionem: Politicus cordatus ipsam honestatem & naturæ legem observans incestos concubitus, nullatenus, adeoq; nec ordinarie usc. extra ordinarie per ullam dispensationem concedere potest. Idq; probamus i. ex unanimi omnium saniorum ethnicorum testimonio. Namq; *Socrates apud Xenophontem* asserit, hanc legem in naturâ à Diis conditam & positam esse, μήτε γονέας πάσι μίγνυθαι, μήτε παίδας γονεύσιν Et *Plutarchus* refert de *Alexandro M.* quod docuerit Persas, matres revereri, earumq; nuptiis abstinere. Ita *Virgilius l. 6. Æneid.* apud inferos puniri dicit eum,

*Qui thalamos natæ invadit, vetitosq; hymeneos.*

Ipsæ etiam *Ovidius l. 10. Metamorph.* ex jure naturæ prohibitionem hanc deducit, quando inquit:

*Ultrautem sperare aliquid potes impia virgo?*

*Nec quod confundas & jura, & nomina sentis?*

*Tunc eris & matris pellex, & adultera patris?*

*Tunc soror nati, genetrixq; vocabere fratris?*

*Nec metues sacro crinitas angue sorores?*

*Quas facibus sevis oculos atq; omnes petentes?*

*Noxia*



Noxia corda vident? at tu dum corpore non es  
passanefas, animo ne concipe: ne ve potentis  
Concubitu vetito naturæ pollue fædus.

2. ex Imperatorum & Ictorum rescripto. Nam Paulus Ictus lib.  
ult. de ritu nupt. Jure gentium prohibitum esse dicit, ne quis  
ex gradu ascendentium & descendentium uxorem ducat. Ho-  
norius & Theodosius Impp. rescripserunt, naturæ fædus non per-  
mittere concubitus cum matribus & filiabus l. eum, qui C. de  
episc. & Cleric. 3. Ex celeberrimorum Ecclesie Doctorum suffragio.  
Ita enim Augustin. l. 15. Civ. Dei cap. 16. Inest nescio quomodo  
humanæ verecundiæ quiddam naturale atq; laudabile, ut cui  
debet causâ propinquitatis verecundum honorem, ab ea con-  
tineat &c. Vide ibidem plura. & potissimum commentar. in b. l.  
Ludovici Vivis, qui inter alia ibid. ait: Fraternalia conjugia apud Æ-  
gyptios & Athenienses fuerunt recepta, Romani tamen eum  
morem nunquam receperunt. Confer Ambros. l. 8. epist. 66.  
q. 2. Item C. Literas extr. de restit. spoliat. Ex quibus ad contraria  
argumenta ultrò se offert responsio. Nempe ad 1. autoritatem sapi-  
entum contra rationem esse nullam. Neq; enim videndum quid  
& à quo, sed cur, quomodo & qua ratione aliquid dicatur. Ad  
2. Respond. Non exemplis sed legibus esse pugnandum. Neq;  
enim multitudo errantium errori parit ullum patrocinium.  
Imò de jisdem Indis, Mauris &c. quorum exempla superius ad-  
ducta ex Alexandr. l. 1. genial. dierc. 24. Addit idem Alexandr.  
ibid: Etsi apud non nullas gentes cum parentibus coire licuit,  
tamen apud reliquas ubiq; gentes tam immane scelus lege &  
moribus sub gravi documento interdictum fuit, nefas enim  
existimabant, filios cum matribus ferarum ritu commisceri,  
quod dictu audituq; fædum ac pudendum est. Sic Tiraquell. ex  
Agathio l. 2. de bello Goth. docet, apud priscos persas non fuisse  
matrimonia parentum & liberorum usitata. Et Plutarch. in vita  
Artaxerx. memorat, ipsum filias suas uxores duxisse contra  
leges Persarum & Græcorum. Quanquam ergo apud quasdam  
gentes perversa consuetudo contrahendi matrimonium prohi-  
bitum inoleverit, tamen ex illorum corruptis & depravatis  
moribus nequaquam de lege naturæ faciendum est judi-  
cium.

cium. Derecentioribus ergò Ethnicis honestatis adverfa-  
riis superius citata exempla contraria concedimus, de antiqui-  
oribus verò & juris naturæ cultoribus negamus.

Ex rei autem existentia cum accidentario abusu & vitio con-  
nexa essentiam ejusdem velle dijudicare, talem & non aliam  
esse, omnino absurdissimum. Manet proinde, *Platonis & as-  
seclarum sententiam ipsi naturæ & honestati adversam esse.* 1. Quia  
storgas illas & affectiones, quas natura parentibus erga liberos,  
his erga se mutuò & cognatis invicem inlevit, prorsus eradit.  
Nam ubi nec parentum, nec liberorum, nec fratrum, nec co-  
gnatorum ulla differentia est, ibi quoq; diminutio amoris erga  
liberos, parentes, fratres, sorores & conjuges. 2. quia gradus  
sanguinis & propinquitatis tollit. Cum tamen natura ad majo-  
rem efficiendam Charitatem distincta consanguinitatis vincula,  
lineas, gradusq; dederit. Quippe consanguinitas est naturalis  
quædam ab eadem stirpe multorum connexio. Stirps est natu-  
ralis radix affinitatis. Linea est naturalis collatio personarum,  
sanguinis vinculo junctarum. Gradus est naturalis distãtia,  
qua tandem quota sit propinquorum generatio, certissime in-  
telligatur. In omnibus his definitionibus hanc vocem natura  
in geminari videmus. Consanguinitas à natura, stirps à naturâ,  
Linea à natura, gradus, omnisq; affinitatis distinctio à natura  
ducitur. 3. Quia conscientiam excruciat & hominem ad mor-  
tem sibi ipsi consciscendam, cogit, id quod declarare possu-  
mus exemplis. *Biblis Mileti filia*, postquam cum *Cauno* fratre  
incestum commisit, se *baltheo* ad collum ligato suspendit.

Id ipsum fecit *Enopis Traxænis filia* post concubitum admis-  
sum fratris. *Secundus Philosophus* cum matri nescienti esse filium  
se commiscuisset, & illa facto cognito sceleris horrore sibi mor-  
tem conscivisset, ipse quoq; incestus pœnitentiã in æter-  
num tacuit. *Vid. plura ejusmodi exempla ex Dositheo, Plutarcho,  
Fulgoso, Svetonio, Emilio, Campano, Bembo &c. apud Zwinger.  
theatr. vite humanae volum. 18. l. 5. fol. 3408. & volum. 16. l. 5. fol.  
3091. & 2167.* 4. Quia bruta etiam incestus vitare dicuntur,  
ut docet *Arist. l. 9. hist. animal. c. 47. & Ælianus l. 4. & 5. hist. ani-  
mal.*

*med. Plinius l. 17 c. 42. Et imperator Justinianus in Novel. 12. cap. 1.*  
Itemq; facit exemplis testatum *Johann. Borcholt. l. 1. comment.*  
*instit. tit. de nupt. ad S. ergo non omnes. num. 4. & Arnisaus l. 1. de*  
*republ. c. 1. s. 11. num. 9. Confer & Gerbard. de conjugio. S. 304.*  
*Varronem de re rustic. c. 14.* Cum enim aliquando pullus came-  
lorum fraude camelarii seu curatoris matri esset admissus, is  
operimento delapso, & matre cognita, camelarium morsu  
defixo interemit. Sic etiam *Job. Lupus in tract. de matrimon.* nar-  
rat de equo aliquo scythico ipsum matrem adopertam com-  
pressisse, & matre cognita reclinato capite genitalia sibi ampu-  
tasse, luiturum in ea parte, quâ peccatum fuerat. Qui igitur  
incestum committit, is se brutis deteriorem esse ostendit, cum  
secundum *senecam, in Hippol.*

*Fere quoq; ipsa Veneris evitent nefas,  
Generisq; leges inscius seruet pudor.*

## QUÆSTIO IV.

### *An conjugia debeant esse libera*

*Sensus questionis est, an eò extendenda libertas contrahen-*  
*tium, ut etiam superiorum & Parentum in primis autoritas &*  
*consensus negligi possit. Affirmandum videtur 1. à sufficiente*  
*requisitorum enumeratione. Neq; enim vel ad Efficientem, vel fi-*  
*nem, neq; ad Materiam vel Formam matrimonii consensus ille*  
*spectat. 2. à minori ad majus. Conjugium servorum invitis Do-*  
*minis ratum est & firmum, si quidem jus Gentium non potuit*  
*tollere, quod jus naturæ concessit. Ergò multò magis conjugii*  
*filiorum invitis parentibus erit ratum, quippe major est*  
*subjectio servorum ad Dominum, quam filiorum ad parentes.*  
*Confer Thomam p. 3. q. 35. artic. 2. & Bellarmin. de matrimon. cap.*  
*19. & seqq. 3. Ab absurdo. Ita n. matrimonia invitis parentibus*  
*intra per copulam carnalem consummata, dirimenda forent.*  
*4. à libertatis requisito. Hæc enim in contrahendo matrimonio*  
*vel maximè requiritur, quæ Quintiliano teste, nusquam magis*  
*quam hic necessaria. Quis enim amare alieno animo potest?*

B

5. A

§. *A patria potestatis natura, quæ tantum civilibus L L. introdu-*  
*cta. Ergo etiam inde fluens consensus. Confer Justinian. instit. de*  
*Patriapoteft. §. 2. 6. Ex jure canonico. Vide. Bellarmin. l. d. q. 4. Ve-*  
*rum non obstantibus hiſce aſſerimus: Libertatem in matrimonio*  
*neceſſariam quidem eſſe, verum non quamvis, ſed legitimam, legibus*  
*ſcil. naturalibus &c. nullatenus contrariam: Unde conſenſus ſuperio-*  
*rum, & Parentum imprimis non modo de honeſtate, verum etiam de*  
*neceſſitate, vel maxime requiritur. Quod probamus i. ex jure*  
*naturali. Namq; ( verba ſunt Juſtiniani Inſtitut. tit. de Nuptiis. )*  
*juſtas Nuptias inter ſe contrahunt, qui ſecundum præcepta Legum*  
*cœeunt, maſculi quidem puberes, fœmina autem viripotentes, ſive pa-*  
*tres familiarum ſunt, ſive filii familiarum, dum tamen, ſi filii familia-*  
*rum ſunt, conſenſum habeant patrum quorum in poteſtate ſunt. Nam hoc*  
*fieri debere, & civilis & naturalis ratio ſuadet, in tantum, ut juſſus*  
*parentum præcedere debeat. Atq; ad hoc naturale jus referri pot-*  
*eſt. i. poteſtas Patria, 2. Conſenſus matrimonialis natura, qui nun-*  
*quam legitimus, plenus & juſtus in iis, qui alieni juris, quando*  
*reclamant ſuperiores, eſſe poteſt. Vid. Juſtinian. Inſtitut. l. d. 3.*  
*Gratitudinis cura. 4. Omnium gentium ſuffragium, ut tum ex Poë-*  
*tis, & Comicis, tum ex Historicis Politicis, Legumlatoribus &c.*  
*videre eſt apud Arnisaum in tract. de jure connubiorum. Cypreum*  
*de ſponſalibus, & imprimis apud Tiraquellum de L L. connubial. 2. Ex*  
*jure civili. Vide verba Juſtiniani ſuprà citata. Cum quibus confer*  
*l. Nuptiæ. 2. ff. de rit. nupt. & l. 35. ibid. item l. ſi nuptiis 2. C. de nupt.*  
*item l. unic. C. de rapt. virg. Ubi paſſim urgetur patria poteſtas,*  
*hæreditatis ſucceſſio, antiqua conſuetudo, parentum affectus*  
*infirmum liberorum judicium &c. unde rectè concludit Beza*  
*de divort. fol. 78. Leges civiles de neceſſitate conſenſus paterni noti-*  
*ores eſſe, quam ut ignorari; Clariores, quam ut obſcurari; ſanctiores,*  
*quam ut aboleri poſſint. 3. Ex jure Canonico, & Patrum conſenſu.*  
*Qua de re autores ſuprà citati videantur. 4. Ex abſurdo multiplici.*  
*Nam per matrimonia liberorum ſine conſenſu parentum inita-*  
*1. honor parentibus debitus violatur, eorumq; autoritas vile-*  
*ſcit, 2. patri invito hæres agnaſcitur. 3. pax domeſtica turba-*  
*tur. Nurus enim filiaꝝ reſpectum obtinens contra ſoceri volun-*  
*tatem*

tatem in ædes introducitur. 4. Salus liberorum, qui per ætatem sibi ipsis rectè consulere nequeunt, in præsentissimum adducitur periculum. 5. Sub spe matrimonii stupris & libidinibus fenestra aperitur &c. Conferatur *Beustius part. 2. de matrimon. cap. 46.* Vbi inter alia concludit: *Si matrimonia vel sponsalia sine parentum consensu contracta deberent valere, sequeretur illud inconueniens, quod quilibet ribaldus vel scurra possit honesti viri filiam ad se allicere, & quasi furari, eamq; decipere, quod esset valdè absurdum.*

Ex quibus ad argumenta contraria facilis est responsio, potissimum si præsupponatur. 1. Non esse quæstionem de parentibus furiosis, vel in regione longè dissitâ captivis, vel mortuis &c. Quosdam enim per naturæ vitium consentire non posse, ut dementes; quosdam ex avaritia & acoegia consentire nolles; quosdam verò per casum vel infortunium excludi, ut captivos &c. facilè damus. 2. Nec quæri de Parentibus, duris & acerbis jure suo abutentibus & matrimonia liberis prohibentibus, sed de generali regula, quid requiratur de jure patriæ potestatis, si jus illud strictè sit urgendum. 3. Distinguendum esse. 1. inter consensum parentum, ac tutorum & cognatorum. 2. inter consensum patris & matris. 3. inter consensum tacitum ac expressum. 4. inter consensum generalem & specialem, sive individualem. 5. inter liberos majorenes & minorenes. 6. inter nuptias insciis parentibus contracta, cum persona honesta ac paris conditionis & cum eâ, quæ est disparis &c. 7. inter liberos humiliter voluntati parentum se subjiciendo culpam deprecantes, & pertinaciter obluetari pergentes. 8. inter strictum juris rigorem & æquitatis moderationem. Hisce inquam præsuppositis ad argumenta contraria facilis est responsio videlicet ad arg. 1. Respond. esse falsissimum. Namq; licet consensus alii ad formam, alii ad Materiam referant, ad Efficientem tamen Conjugii rectius pertinere eundem statuimus, tum propter expressam juris regulam, (Nuptias non concubitus, sed consensus facit l. Nupt. de reg. juris) tum propter conjugii naturam (cujus forma non in consensu consistit) tum etiam propter consensus ipsius conditionem. Namq; personæ contrahentes non sunt causa effici-

ens nisi quatenus consentiunt; & consensum suum exterius ex-  
primunt. Unde Carerius lib. 3. de spons. c. 1. rectè ait. consensus dupliciter  
consideratur, uno modo ut est ratio contractus alio modo, ut est actus quo  
contractus fit. Consensus est causa Efficiens eo modo, quo ratione agendi di-  
citur Efficiens, per quandam approbationem, ex eo, quod ratio agendi se  
tenet ex parte agentis. Quoniam contrahentes non essent causa Efficiens  
matrimonii, nisi in idem consentirent, ideo consensus vel actus voluntatis,  
quo consentiunt, dicitur causa Efficiens, quemadmodum non solum ignis  
calefaciens dicitur causa Efficiens rei calidae, sed etiam calor ipsius ig-  
nis. Et lib. 2. c. 1. contrahentes matrimonium considerantur, ut sunt  
principium ipsius contractus effectivum, quomodo sunt causa efficiens,  
2. ut tradunt sibi invicem potestatem suorum corporum, quoad actum  
conjugalem, quomodo sunt materia. Confer Henricum de Wuri-  
maria in 4. sentent. distinct. 27. §. 1. ubi dicit inter alia, Efficien-  
tem & formalem causam substantialem esse hinc (suo modo) unum &  
idem. & Bellarmini. de matrimo. c. 7. ubi adducit decretum  
concilii Florentini: causa Efficiens matrimonii regulariter est mu-  
tuus consensus per verba de presenti expressus. Ad II. Respond. 1. Nul-  
lam esse in eo consequentiam, quia inter dominum & servum  
solum obligatio est civilis, inter patrem verò & filium est obliga-  
tio naturalis. 2. disting. inter servos simpliciter sic dictos, &  
inter mancipia, sive inter servos Christiani moris & stricti Romani  
juris. 3. Lombardus 4. sentent. dist. 36. adducit canonem conci-  
lii Cabilonensis: dictum est nobis, quod quidam legitima servorum  
matrimonia potestati quâdam presumptione dirimant, non atten-  
dentes illud: quod Deus coniunxit, homo non separet. Unde nobis  
visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos do-  
minos habeant, sed in uno conjugio permanentes dominis serviant suis.  
Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per vo-  
luntatem dominorum. Et subjungit: attende finem hujus capituli, ubi  
videtur innui, præter voluntatem dominorum inter servum & ancil-  
lam non posse contrahi conjugium; vel si contrahitur, non esse ratum.  
Ad III. Responsum est in responsionibus generalibus supra præ-  
suppositis. Ad IV. Respond. distinguendo inter libertatem absolu-  
tam & restrictam, veram & fictam. Vera est, quæ legibus non  
adversatur. Hinc optimè Cicero. 1. offic. inquit: Legum servi sumus,  
ut liberi

ut liberi esse possimus. Et Justinianus Institut. de jure Personar. §. 2.  
 Libertas est naturalis facultas ejus quod cuiq; facere libet, nisi quid vult  
 aut jure prohibetur. Confer commentar. Rittersbusii, Schneid. Wini,  
 Wesenbecii ad illum locum, & Harprechti & c. Ad V. Respond. Deter-  
 minationem quidem patriæ potestatis esse juris civilis, ipsam  
 tamen patriam potestatem in genere consideratam omnino  
 esse juris naturalis, teste Aristot. lib. 8. Ethic. c. 11. & 1. politic. c. 8.  
 ubi inquit: naturæ lege liberi imperio parentum subditi esse tenentur.  
 Confer Ulpianum l. 195. de H. S. ubi dicit: Sub patris potestate fi-  
 lios familiâs esse naturâ & codic. l. de adopt. ubi jura patris naturalis  
 dicuntur nexu divino copulata. Ad VI. Respond. Loca illa, quæ ex jure  
 Canonico objeuntur, dudum enucleata; & multò plura pro  
 nostra sententia adducta esse non modo ab Autoribus supra ci-  
 tatis sed etiam ab Adr. Pulvæo lib. de Nuptiis sine parentum consen-  
 su non contrahend. item Alberic. Gentil. lib. 4. de nupt. c. 4. Hunni:  
 resolut. juris lib. 1. tract. 3. quest. 18.

## QUÆSTIO V.

### An pluralitas uxorum simultanea sit naturæ conveniens?

Per polygamiam communiter intelligitur duarum vel  
 plurium uxorum uno eodemq; tempore in thoro conjugali  
 cum uno marito cohabitatio, Confer Thomam 4. Sentent. dist.  
 33. q. 1. artic. 7. Bellarmin. de matrimon. c. 10. Cum verò aliud sit  
 δευτερογαμειν aliud ἐπιγαμειν, idè de illo, videl. de polyga-  
 mia, ut vulgo dicitur, successivâ, hæc vice non sumus solliciti,  
 (vid infra quest 7.) sed de altero, videl. de simultanea polygamiâ,  
 num naturæ conveniens sit, quæritur. Bernhard: Ochinus lib. 2.  
 dial. 12 p. 100. & ejus a seclæ admodum solliciti sunt indefenden-  
 dâ affirmativâ, quorum rationes, quæ potissimum Theologicæ,  
 videri possunt apud Gerhard. de conjug. §. 221 seqq. & Libenthal.  
 Colleg. Politic. disp. 2. quest. 10. aliæ verò v. g. quod non sit con-  
 tra naturam, nec contra bonos mores, item quod sit remedi-  
 um ad prioris conjugis sterilitatem tollendam & c. leviores

sunt. Iisdem ergo posthabitis asserimus : pluralitatem uxorum  
simultaneam cum ipsa natura pugnare. Idq; probamus 1. ex finium,  
quos natura matrimonio præfixit, conditione. Qua de re vide  
Bellarmin. de matrimon. c. 10. 2. ex saniorum Gentium testificatione,  
Confer præter disputationes hæc de re Aristotelis in Politicis &  
Oeconomicis. Arniseum de jure connubior. & Suetonium, qui Julium  
Cæsarem quòd legem promulgasset, ut quilibet quas & quot  
uxores vellet, duceret, propterea vocat omnium mulierum vi-  
rum, & omnium virorum mulierem. Apud Romanos enim  
notabatur infamiâ qui binas nuptias in eodem tempore consti-  
tutas habuerat, l. 1. ff. de his qui not. infam. vide etiam Diocletia-  
ni & Maximiniani constitution. l. 2. C. de incest. & inutil. nupt. item  
Valeriani & Gallieni l. 18. C. ad L. Jul. de adulter. 3. ex Zelotypiæ  
conjugibus innatæ conditione. Quem affectum natura non in-  
didisset, si plures in conjugali societate voluisset, conjunctos.  
4. Ex brutorum testificatione. Confer Conan. l. 1. Commentar. c. 4.  
n. 5. ubi de columbis, cornicibus &c. disserit, quod unus mas  
uni tantum fœmellæ jungatur. 5. ex equali obligatione. Ut  
enim maritus pluribus communem esse uxorem renuit. Ita &  
uxor &c. Ex quibus sponte cadunt argumenta contraria. Ad  
quæ respond. 1. in genere, Durando 4. sentent. dist. 33. quest. 1. &  
Abulensi in cap. 19. Matth. quest. 30. ( qui disputant, polygami-  
miam ex parte uxoris, quâ una fœmina multis viris nubit juri  
naturæ repugnare, sed ex parte mariti, quando unus multas  
ducit uxores, non repugnare ) hæc in parte Ochino quadante-  
nus faventibus opponendum esse Thomam qui in 4. sentent. dist.  
33. quest. 1. distinguit inter jus naturæ primarium ex ipsis naturâ  
notis principiis ortum, & secundarium, ex conclusionibus inde  
deductis originem habens. Polygamiam verò juri naturæ, si  
non primario, secundario tamen, repugnare censet, unde con-  
suetudine induci potuerit plures uxores ducendi licentia. Con-  
fer Bonaventur. 4. sentent. dist. 33. quest. 1. ubi inter alia inquit :  
sicut eadem naturaliter abhorremus, ita confusionem quoq; & mul-  
titudinem mulierum innato quodam odio detestamur. 2. in specie  
respond.



*respond.* Argumenta Ochini Theologica soluta esse. à Theologis,  
& etiamnum suo loco ab iisdem refutari Reliqua verò nihil  
aliud esse nisi turpissimam principii petitionem & Elenchi  
ignorationem.

## QUÆSTIO VI.

### *An concubinatus Politico tolerandus?*

Plurima cum conjugio pugnare tum ratione Efficientis  
& Finis, tum ratione materiæ & formæ, & hujus quidem respec-  
tu in primis pellicatum & concubinatum nemini ignotum est.  
*De concubinato* verò in primis (misso hâc vice pellicatu, qui di-  
citur mulieris cum eo, qui habet legitimam uxorem, cohabi-  
tatio. Siquidem pellex una cum legitima uxore concubina  
citra eam habetur.) *an à Politico in Republ sit tolerandus* quæri-  
tur. Non desunt qui *affirmare* audent, partim ob summam *ne-  
cessitatem*, unde Civile quam Canonicum jus concessit, partim  
etiam ob *eximiam commoditatem* graviora mala evitandi, &  
leviora permittendo atrociora impediendi &c. Verum hisce  
& similibus rejectis *asserimus*: *Concubinatum cordato Politico in  
benè constituta Republ. nullatenus esse tolerandum.* Idq; præsuppo-  
sitâ divina institutione, de qua Theologi, *probamus* 1. *ex gravissi-  
simis* in Rempubl. è concubinato profluentibus, quæ nemini  
ignota esse possunt, *malis*. 2. *ex scandali* aliis hoc modo dati *a-  
trocitate*. 3. *Ex originis* ipsius concubinatus *fæditate*. Imperato-  
res enim & LL. latores ethnici olim eundem tolerarunt ob  
summam inter gentes libidinum frequentiam. Quam ergò au-  
torem habeat facilè pater. 4. *ex PP. autoritate*. Confer *Lactan-  
tium lib. 6. institut. c. 23.* & *Chrysof.* qui in peculiari sermone  
graviter in concubinarios invehitur. Unde quid de *Costeri* ver-  
bis (*Sacerdotem si fornicetur aut domi concubinam alat, minus pec-  
care, quam si matrimonium contrahat*) & de universo coelibatu  
Pontificio, à Theologis dudum jugalato, sentiendum sit facilè  
constat. De quo notatu dignissimæ sunt querelæ in *gravami-  
nibus nationis Germanicæ n. 75.* & *n. 91.* Confer etiam quæ ex *Imp.*  
*Maxi-*

Maximiliano C. L. Espenseo, Polydoro Virgilio &c. annotavit  
Amesius Tom. 2. Bellarm. enervat. pag. 130. seqq. Et elegantem  
dissertationem Didaci Stelle de vanit. Mundi part. 2. c. 97. itemq;  
Georg Casandr. in consultat. artic. 23. Unde merito dixit Cornelius  
Agrippa de vanit. scientiar. c. 64. Jam lenones sunt Episcopi & officia-  
les, qui censum pro concubinato à Sacerdotibus quotannis extorquent,  
idq; tam palam, ut apud plebem ipsam in proverbium abierit illa  
eorum concubinaria exactio, cum dicunt: habeat, vel non habeat,  
aurum solvat pro concubinâ, & habeat, si velit. Hinc patet rati-  
ones contrarias esse frivolas & nullius planè momenti. Namq;  
1. accidentaria quædam, quam quis sibi fingit utilitas vel com-  
moditas rei honestatem nondum constituit. 2. tolerantia ali-  
cujus mali temporaria nullam ei bonitatem intrinsecam tribu-  
it. 3. Nec jus civile nec Canonicum simpliciter concubinatum  
concedit. Nam 1. quod jus Civile attinet, negari quidem non  
potest, legibus antiquioribus ante Justiniani tempora promul-  
gatis concubinatum fuisse permissum, uti constitutiones Imp-  
tum Cod. tum Digest. de concubin. testantur: interim tamen &  
hoc certum est (ut taceam quod Albericus Gentilis lib. 1. de nupt.  
c. 5. asserat, novissimus Justiniani Constitutionibus concubinatum  
esse prohibitum, Confer ejus Novell. 6. c. 1. §. 3. & Novell. 123. c. 1.  
& 12. quanquam ad Clericos in specie potius hæc pertinere  
videatur. Vid Menzer. in append. disputat. de matrimon. Marp.  
disput. 15.) quod Leo Imp. Constantinopolitanus, Philosophus dictus,  
concubinatum penitus sustulit. Vid Novell 91. ubi ait. Non mi-  
nus ea lex, quæ probrose cum concubinis immisceri non erubescitibus  
id permittendum judicavit, honestatem susq; deq; habuit. Ne ergò hoc  
Legulatoris erratum dedecore nostram Rempubl. afficere sinamus, itaq;  
lex illa in æternum silet. Ab illa enim non modò religionis, verum  
etiam nature injuriâ secundum divina Christianisq; convenientia præ-  
cepta prohibemur &c. Adde Novell 99. Quæ Leonis constitutio,  
licet in setanti valoris minimè sit, ut Juris autoritatem, aut  
abrogandi leges, Justiniani obtineat efficaciam, nihilominus  
tamen quia pietati, honestati, morumq; probitati maxime est  
consentanea, in bene constituta Republ. constitutionibus veterum  
rum

rūm contrariis meritō præfertur. 2. Jus Canonicum in hoc negotio parum sibi constare videtur. Interim qui conciliationem desiderat, videre poterit *Bellarmin. c. 11. de matrimon. ubi putat, quando in jure Canonico permittitur concubinatus, non agi de vera concubina, sed de ea uxore, quæ privatim ducta sine legalibus instrumentis, quæ etsi reverâ sit legitima uxor, ut potest affectu maritali ducta, tamen propter amissa dotalia instrumenta dicatur concubina. Deniq; regula illa ex 5. Ethic. c. 3. ex duobus malis eligendum esse minus; indeterminatè intellecta est falsissima. Mala enim triplicia sunt, videlicet. 1. alia poena. 2. alia culpa. 3. alia Physica sive naturalis molestia & doloris. De primo in certis casibus concedi potest. De secundo nunquam. Si enim ullibi inter duo mala moralia seu peccata honeste licebit eligere minus, tum in posterum peccatum impunè perpetrabitur; nullum enim fermè est, quin si cum alio comparetur, minus sit culpabile: neq; enim peccatorum gradus negare quisquam potest. De tertio autem admitti potest, quemadmodum & ipse *Aristot.* intelligit. Quis enim v. g. non mallet pedem sibi amputari, ut totum corpus servaret? & quis non naturâ duce, objectat gladio manum? quia minus malum esse intelligit manum feriri, quam caput.*

Quibus addi potest *aliorum explicatio*, qui dicunt: *inter duo mala eligendum esse minus*, si intelligatur de minori intensivo sive quali, non autem si intell. de minori extensivo sive quanto. Unde patet, non minus jocosum quam Sophisticum fuisse responsum *Democriti* ad quæstionem: *Cur duxerit parvam uxorem hanc rationem reponentis? quia inter duo mala minus erat eligendum.*

## QUÆSTIO VII.

### *An polygamia successiva in Republ. toleranda?*

Esse quandam polymagiam, quæ dici solet successiva, constat ex *quæst. 5.* Quam *Montanum* imitatus improbare conatus est *Tertullianus*, eumq; secuti *Moscovita, vid. Sigismung.*

G

Baro

Baro in relig. Moscovit. & Armise. doct. Polit. in c. 3. p. 64. 1. Ob in-  
commodorum varietatem. Confer Lombard. i. sentent. dist. 48. &  
Hieron. in Epist. ad Euriam, ubi ait: Superinducit mater filijs non nu-  
triciam sed hostem, non parentem sed tyrannum; inflammata libidine  
obliviscitur uteri sui, & inter parvulos suos miserias nescientes lugens  
dudum nova nupta componitur & c. Si evenerit, ut ex secundo matri-  
monio habeas filios domesticos, oritur pugna, intestinum prælium.  
Non licebit tibi amare liberos, nec aquis aspicere oculos, quos genuisti.  
Clam porriges cibos, invidebis mortuo, & nisi oderis filios, adhuc vi-  
deberis eorum amare patrem. Quod si vir de priorè uxore sobo-  
lem adhuc habens domum te introduxerit, etiamsi clementissimam  
fueris, omnes comædi & mimographi in novercam sevissimam decla-  
mabunt. Si privignus languerit & condoluerit caput, infamaberis ut  
venefica. Si non dederis cibos, ut crudelis. Si dederis, maleficus  
diceris. Vid. Johannes Garonius in tract. de secundo nuptiis, ubi XLIX.  
incommoda secundo nubentium enumerat. Confer & Förster.  
l. 7. de success. c. 9. 2. Ob facti indignitatem, videntur enim aliquam  
adulterii speciem habere iteratæ nuptiæ. 3. Ob exemplorum vario-  
rum autoritatem & c. Verum hæc posthabitis asserimus: Iteratas  
secundam, tertiam & c. vice nuptias debitam accedente prudentiam & cautio-  
ne salva Reipubl. salute & tranquillitate omnino concedi posse. Idque  
probamus 1. ab iteratarum nuptiarum conditione. Si enim illicitæ  
sunt, tales erunt vel propter specialem dispositionem, vel propter  
intrinsecam cum honestate repugnantiam. Non illud, ut patet  
ex omnibus, quæ in contrarium proferri solent, argumentis. Ne-  
que hoc, quia tum necessum foret, pugnare eas cum natura casti-  
tatis & pudicitiae. Verum & hoc falsum est, quia nihil hinc quod  
non in primis etiam occurrat nuptiis. Ergo non sunt illicitæ. 2. Ex  
paritatis ratione. Quicquid enim primas, idem etiam secundas  
commendat nuptias. Quibus 3. Exemplorum probatissimorum in-  
ductio & 4. Patrum ut & Actorum consensus addi poterat. Ex quibus  
liquida est (præsuppositis iis, quæ ex quest. 5. hinc spectant) ad ar-  
gumenta opposita responsio. Videt. ad 1. Respond. concedendo, in-  
commoda non pauca iteratas comitari nonnunquam nuptias, po-  
tissimum si liberi adsint superstites. Verum illa nec sunt perpetua  
cum

cum experientia sæpius testetur contrarium; nec intrinseca, rem  
in se malam facientia. Aliud enim est quærere, num quid liceat,  
aliud verò, num huic vel illi, hoc vel illo tempore &c. statim expe-  
diat. *Ad 2. respond.* esse falsissimum, quia soluto per mortem con-  
jugii vinculo adulterium plane expirat. *Ad 3. respond.* Exempla  
ex legibus esse dijudicanda: nec ea, quæ ostendunt, dari in nuptiis  
iterandis libertatem, exclusâ necessitate simplici, hoc statim pro-  
bant, abominandam rem esse ac nullatenus concessam. Reliqua  
quæ contra hanc veritatem tum à *Tertulliano*, tum *Hieronymo*, tum  
ab aliis quoque proferri solent, sufficienter refutata sunt à *Tarno-  
pio l. 1. de Conjug. c. 28. & seqq.*

## QUÆSTIO VIII.

### *An matrimonium ullo modo sol- vendum?*

Cum matrimonium rectè à *Jctis* dicatur viri & mulieris conjun-  
ctio, individua vitæ consuetudinem continens *S. 1. Instit. de patr. pot.*  
merito *Charondæ* legem rejicimus, quâ concessum, ut quacunque  
causâ liceret uxori à viro divertere, quam *Thurii* coacti fuerunt  
corrigere, cum illa licentiâ abusæ mulieres præ libidine sua muta-  
rent maritos. *Diod. Sicul. Biblioth. lib. 12.* Quo ipso tamen nequa-  
quam eorum subscribimus sententiæ, qui ante citatis Imperatoris  
verbis, & aliis abusi ratiunculis matrimonium nulla de causa solvi  
posse autumant, quibus hanc opponimus assertionem: Possunt omni-  
nò dari certi casus, ubi præter modum in jure divino (de quo Theologi)  
& Canonico expressum, etiam de jure naturali & civili solvi potest con-  
jugium. Quod probamus 1. *Ex adulterii natura.* Hoc enim, quia  
ipsam conjugii formam tollit, ipsum quoque conjugium evertit.  
2. *Ex absurdorum copiâ*, de quibus vid. *Gerhard. de conjug. §. 573. &  
seqq.* Ubi etiam *Imperatorum rescripta*, *Conciliorum decreta &c.*  
addit. Ex quibus rationes contrariae sponte concidunt: Potissimum  
si addatur *Gerhard. l. d. Arnise. Polit. p. 67. seqq. & in tract. de jure  
connubior. item Cypreus, Tiraquell. Beza &c. de eadem materia.*

C 2

Con

## QUÆSTIO IX.

### *An subjectio uxoris respectu mariti sit natura consentanea?*

*Officia conjugum tum communia erga Deum, seipfos & alios, tum propria & uxoris & mariti, passim exponunt alii, imprimis verò Heiderus & Excellentiss. Dn. D. Jac. Martini, l. 1. Polit. c. 4. p. 88. & seqq. Hic vero solùm de subjectione uxoris, an ea natura sit consentanea, quæritur? Non desunt qui negant, quia violenta videatur, quia cum malitiâ conjuncta, quia naturæ adversa &c. Confer Ælianum qui lib. 11. var. histor. refert, quod apud Sacas, si quis uxorem puellam ducere cuperët, pugnam cum eâ suïceperit: & illa, si superior facta, captivam abduxerit atque imperium in eum obtinuerit, si inferior, ab eo gubernata sit. Verum nec tam ancipiti duello opus, nec amica etiã conversatio degenerare debet in servile obsequendi studium, quemadmodum in Hercule & Omphala, in Nino & Semiramide, in Antonio & Cleopatra patet. Recte enim Clemens Alexandrin. l. 2. pedagog. cap. 10. monet: In luxu vestium & ciborum non esse indulgendum mulieribus desideriis & cupiditatibus. Repudiatã igitur γυναικονεγεσία istã ignominiosissimã asserimus: Subjectionem uxoris respectu mariti ipsi naturæ vel maxime esse consentaneam, adeoque non sine insigni in ipsam naturam injuriã à γυναικονεγεσίμειναις violari & inverti. Quod probamus i. quia jus naturæ viro & non fœminæ potestatem dedit. Unde rectè Martialis:*

*Inferior matrona suo sit, Prisce, marito,  
Non aliter sunt fœmina virq; pares.*

*Hinc rectissime Menander: γυναικὶ δ' ἀρχεῖν ἔδιδωκε ἢ φύσει. Mulieri non concessit natura imperandi facultatem. Hæc enim ad omnia imbecilliores eas fecit, quo à naturã subjectionis suæ admonerentur. Juris verò naturæ est, ut dignior imperet,*

Vir autem qualiscunque ob sexura nobiliorem dignior existimari-  
dus quibuscunque & cuiuscunque sint dignitatis, mulieribus, l. 7.  
ff. de Senator. Bene ergò *Megistona Timoleontis uxor* ad Aristoti-  
mum Eliensium tyrannum, qui jubebat ipsam imperatorias ad vi-  
rum literas scribere. *Si, inquit, jus naturæ scires, non utiq; juberet vi-*  
*ris suis mulieres quicquam præscribere, sed nos ad ipsos tanquam ad Do-*  
*minos nostros permitteres proficisci.* Plutarch. de clar. Mulier. 2. Hinc  
saniores Ethnici videntur *γυναικων αίσια* hanc maximam repu-  
tasse ignominiam. Nam, ut refert Justin. l. 32. Oloras Daco-  
rum Rex, cum Dacos, quod contra Bastarnas infeliciter pugna-  
sent, summâ ignominia afficere vellet, sub imperium mulierum  
damnavit, quasi majorem nescivisset contumeliam. Unde *jus*  
*Canonicum C. mulier. 33. q. 5. & C. fœm. 30. q. 5.* ex Isidoro memorat,  
foeminas dum maritabantur, olim velari solitas, ut suæ servitutis  
ad monerentur. Et in *C. quæcunque 30. dist.* dicitur: Quæcun-  
que mulier sibi comam amputaverit, quam Deus ad memoriam  
subjectionis illi dedit, tanquam resolvens jus subjectionis, ana-  
thema sit. Ad quem locum eximius quidam Jctus festiviter  
notat, idcirco relictos esse fœminis crines, ut viri invenirent in il-  
lis, quo trahi possent & ligari. 3. Idem ex divina jussione, primâ  
mulieris formatione, primæ transgressionis occasione, Apostolica  
ordinatione, conjugii conditione, Christi & Ecclesiæ præfiguratione,  
S.S. matronarum imitatione, maritorum infidelium ad Christianam  
religionem invitatione &c. suo loco fusius probant Theologi. Con-  
fer Gerhard. de conjug. S. 451. Ex quibus argumenta contraria fa-  
cilè corruunt. Namque annexum vitium & adjuncta acciden-  
taria malitia rem ipsam nondum tollit. Naturæ verò hoc domi-  
nium adversari nondum probatum est, cum etiam homini non-  
dum malo non repugnet. Confer quæ ex Thomâ part. 1. quest. 96.  
artic. 4. citata sunt disputat. 1. quest. 8. de Politica ante malitiam.  
Quæ suo modo huc applicata totam hanc quæstionem non  
parum illustrare poterunt.

## QUÆSTIO X.

### *An in uxorem potestas vitæ & necis marito competat?*

*Affirmandum videtur 1. ob naturæ consensum ex quest. antecedente 9. 2. ob Ethnicorum sapientissimorum suffragium atque exemplum: Namque de Gallis id testatur Caesar l. 6. de bell. Gallic. De Germanis Tacitus de morib. German. de aliis Aristot. 1. Polit. c. 1. de Romanis antiquis Gellius l. 10. c. 23. & Halycarn. l. 2. Confer Plinium l. 14. c. 13. Valer. Max. l. 6. c. 3. Arnobium l. 5. advers. gent. Arnise. Polit. p. 80. & l. Juliam de adulteriis. Verum non obstantibus hisce asserimus: Quinquam virorum autoritas in jure naturæ, gentium & divino fundata, illibata omninò relinquatur, male tamen eadem ad jus vitæ necisq; extenditur. Quod probamus 1. Ex mariti officio. Maritus enim caput est, & plus in viro rationis, animi, virtutis, roboris & constantiæ, quam in foeminis, in quibus hæc omnia parciora sunt, & quæ his adversantur majora & violentiora, ut ad imperium sint illi facti, hæc naturæ ad subjectionem. Heider. in Polit. pag. 111. Parcere itaque infirmiori, & blande in viam revocare aberrantem prudentis est, nequaquam verò in propria viscera sævire crudeliter. Maritorum enim potestas in pietate potius & moderatâ correctione, quam in atrocitate & parricidio sita. 2. Ex presentissimo periculo. Quid enim non facturos plurimos uxoris jure hoc licere audientes putandum, qui contra jus sævitiam in innocentissimas sæpè uxores exercere jam diu satagunt. 3. Ex Magistratus proprio. Hujus enim, non verò privatorum est animadvertere in delinquentes, autoritate publica. Unde & civili jure maritus uxorem in adulterio etiam deprehensam interficiens non solum ei non succedit, nec quicquam de eius bonis sperare potest, l. si ab hostibus §. si vir ff. solut. matrim. sed nec hoc impune regulariter fert, licet mirius puniatur, cum justum dolorem temperare sit difficillimum l. si adulterium cum incestu §. Imperatores. & l. nec in ea in fine cum 2. leg. seq. ff. de adult. 4. Ex uxorum dignitate & privilegio. Uxor enim pars viri est, In propriam verò carnem nemini*



mini licet, vim vel manus mortiferas inferre', l. 13. ff. ad i. Aquil.  
Unde quid de cognata questione: An vir habeat jus castigationis se-  
rioris in uxorem? Sentiendum, facile constat. De qua præter  
alios imprimis *Ariseus* videri potest p. 82. & seqq. & *Gerhard.*  
de conjugio §. 450. Nobis sufficit, quod hac de re ex *August.* l. 9. de  
*Genes.* ad liter. c. 13. & ex *Glossa ordinaria* habet *Lombardus* lib. 2.  
sent. dist. 18. lit. C. Facta est mulier de viro non de qualibet parte cor-  
poris viri, sed de latere eius, ut ostenderetur, quia in consortium crea-  
batur dilectionis, ne forte si fuisset de capite facta, viro ad domina-  
tionem videretur præferenda: aut si de pedibus, ad servitutem subji-  
cienda. Quia igitur viro nec domina nec ancilla parabatur, sed so-  
cia; nec de capite, nec de pedibus fuerat producenda, ut juxta se po-  
nendam cognosceret, quam de suo latere sumram didicisset. Confer  
& *Chrysostr.* homil. 20. in *Epist.* *Ephes.* ubi inter alia inquit: Famulum  
quidem poterit quispiam metu alligare, imò verò ne illum quidem,  
fortasse enim resiliet & abibit. Vita autem sociam, liberorum matrem,  
& quæ est causa & occasio omnis lætitiæ, non oportet metu & minis  
ligare, sed dilectione & affectione. Quam enim voluptate fruetur  
maritus cum uxore habitans tanquam cum ancilla, & non tanquam  
cum libera? Ex quibus rationes quæstioni priori oppositæ sponte cor-  
ruunt. Prima enim manifestæ falsitatis arguitur ex quæstione no-  
nâ. Secunda verò barbaros morum magistros perperam ob-  
trudit.

## QUÆSTIO XI.

### An in matrimonio ineundo æqualitas respicienda?

Sensus quæstionis potissimum est de æqualitate opum & gene-  
neris. Quam licet nonnulli bruto quodam impetu matrimonium  
contrahentes planè negligant, nos tamen nequaquam simpliciter  
postponendam esse asserimus. Idque facile probamus. Si enim  
opulentio rem quis duxerit, erit *ἡ υἱοῦ ἀνομιᾶ τοῦ υἱοῦ*, qui uxori ut  
*Hercules Omphalæ* serviat, & quod ait *Titinius* apud *Non.*: ancil-  
letur.

letur. Rectè enim *Plautus in Asinar.* *Argentum accepi: dote imperium vendidi.* Neque tamen ideò paupertas ultrò accersenda, Conferatur *Paupertas vituperata; laudata; nec vituperata, nec laudata; cum cautione vindicata, Wendelini.* Sed uti alibi, ita & hîc in medio virtus consistit. Idem & de generis æqualitate habendum, Inæquales enim & superiores sunt insolentes, sumptuosæ & imperiosæ, cui rei *ἄπο τῶν ἀπαλῶν οὐχῶν*, ut Græci loquuntur, assueverunt. Ut *Naso* rectè dixerit:

*Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuveni,  
Tam premitur magno conjugè nupta minor.*

Hinc & *Cleobulus* æqualem jubet ducere: Si enim ex superiori familia quædam ducatur, non affines, sed domini acquiruntur. Nec tamen propterea genere planè inferior ducenda. Namque

*Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.*

Sed *Ovidio* bene monenti obtemperandum:

*Si qua voles aptè nubere, nube pari.*

Quâ de re passim ingentes Politicorum habentur commentarii. Confer *Schönborn Heider.* & imprimis *Arnisenm Polit. pag. 85. seqq.* Quæ verò præterea à Politicis prolixè disputari solent de impedimentis matrimonii respectu qualitatum corporis, ut sunt 1. *ætatis immaturitas.* 2. *ad conjugium inhabilitas*, quæ tum in viris, tum in foeminis esse potest. Et quidem vel à natura, ut in frigidis, vel à casu, nimirum vel à morbo, vel à violentia externa, ut in veneficiis & fascino, in genital: partium privatione, læsione, coarctatione ( de quibus *Medici & Anatomici* ) Unde quærent 1. *de puertatis tempore.* 2. *de matrimon. contrahentium ætate.* 3. *Num illud concedendum senibus.* 4. *num pumilis ac nanis.* 5. *Num Eunuchis ac spadonibus.* 6. *num leprosis epilepticis? &c.* Illa omnia ex *Mentzero, Cypreo, Arniseo, Tiraquell. &c.* in compendium reducta videri possunt apud *Gerhard. de conjug. §. 231. 232. 233. 234. 235. 236. & seqq.* Ex quibus officium cordati Politici, ne in hisce salus Reipubl. periclitari possit, facile patebit.

QUÆ

## QUÆSTIO XII.

### Num dos & pulchritudo magnoperè attendenda?

*Affirmativa* rationibus plurimis nequaquam destituitur. Namque forma Dei donum est, *August. l. 15. de Civ. Dei. c. 22.* Et rerum omnium preciosissima ac præstantissima à prudentibus iudicatur. Unde & virgines pulchritudine ac formâ præstantes *Homerus Coryphæus* ille Poëtarum ἐλικοπέδα appellare non veretur, quod ὄπας εἰλίωσι omnium in sese oculos convertant, cum (liceat cum *Plauto* loqui) virgo formâ præstanti prædita vel silicem subigere possit lapidem se ut amet. Accedit quod iudicium mentis cuiusque formæ esse soleat. Membra namque natura componit, prout animæ moribus convenit, *Galenus l. 2. de temperam.* Unde illud:

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus  
Rem magnam præstas, zoile, si bonus es.*

Et *Richter. Axiom. Oeconom. 15. p. 84.*

*Ut pede, sic animo es claudus: namq; externa membra  
Internæ mentis sunt simulacra tuæ.*

Ubi vid. plura. & apud *Schönborn. l. 1. c. 6. & lib. 2. Politic. c. 26.* Inprimis verò *Arniseum pag. 91. seqq.* Ubi inter alia dicit: Si conjecturis & præsumptionibus uti licet, formosæ omninò palmam deberi. Quis enim cernua ista spinturnicia & pitacea amplexari malit, quàm Helenam? Confer *Quintilian. lib. 5 & 8. Instit. & Laurembergii Pasicompsen.* Namque & olim monstrosi & deformis hominis occurus ominosus fuit habitus, qui *Bruto & Dioni* mortem portendit apud *Plutarch. in vit. & Severo Antonino apud Ælium Spartian.* Confer. *Erasm. Chil. 4. cent. 3. & Rasis sentent. 2. ad Almanf. c. 33.* qui dicit: Cuius facies est deformis, vix potest habere bonos mores. Uti ergò facilè ob hæc & innumera alia, quæ adduci poterant, concedimus, verissimum esse illud, *Publ. Syri:* quòd formosa facies muta sit commendatio. Ita &

D

de pul-

de pulchritudine verissimam esse putamus *quæstionis præcedentis*  
decisionem, quæ medium adhibitâ debitâ prudentiâ & circum-  
spectione præfert. Unde non possumus non approbare datum ad  
illud dilemma: *si ducenda est, uxor, ducenda est vel formosa vel*  
*deformis. Non formosa, nam esset καὶνὴ: non deformis, nam esset*  
*καὶνὴ. Ergò non ducenda est uxor: Responsum Ambrosii: Non*  
*querenda est uxor pulcherrima, quæ communis; neq; deformissima,*  
*quæ pœna: sed statâ sive mediâ formâ revera uxoriâ, quæ uti-*  
*litati & consolationi justæ ac securæ sit*  
*futura.*

SOLI DEO GLORIA.



Ad  
*Doctissimum & Humanissimum*  
Dn. CHRISTOPHORUM ELERDUM,  
*De*  
MARITO & UXORE,  
*Publicè disputantem.*


**Q**uicumque tendit vindicare literis,  
Et erudito prælio defendere  
Quæ sint domûs, & conjugl fundamina,  
Modis quibusque conjugum stet copula  
Irrupta, nullis litibus solubilis,  
Annis quibus ducenda, moribus quibus,  
Sit uxor, & quæ conjugum sint debita;  
Hic est habendus laude tantò dignior:

Quan-

Quantò meretur is minorem gratiam,  
Qui supra præfert, & vagas libidines  
Et impudicis est vacans amoribus  
Quid ergo non, E L E R D E, laudis occupas?  
Qui sacra sacri jura matrimonii  
Defendis, atque conjugum viriliter  
Leges, & officium tueris mutuum.  
Hinc nunc Ego non vanus auspex auguror,  
Largis Tuum remunerationibus  
Studium referri; Lauream Tibi dari  
Primum, Deinde, si Deus concesserit  
Vitam, caput portareserta conjugis.

*Id quod amicitiae declarandæ,  
convictori suo vovet*

M. Theodorus Georgi Tönningensis  
ex Eiderstädiensibus Holsatus  
SS. Theol. Studiosus.



*S*æpè quadrare suis quas signant Nomina rebus  
Et Nomen omen gignere.

*Nos docet eximii soboles generosa Parentis*

*E L E R D V S ornatissimus,*

*Cujus mens patrii stimulo cognominis icla*

*Currit moræ omnis nescia,*

*Vt noscat Sophies fest nat amœna vireta*

*Per Disciplinas singulas:*

*Publi.*

Publicitus scandit Cathedram, privata Magistrò  
Secutus ora & publica,  
Nec satis esse putat dignum se reddere Lauro,  
Vlterius ille prospicit.  
Sic virtus succensa semel requiescere nescit,  
Donec reperiat exitum.  
Perge sequi tanto vestigia digna Parente  
Faveat Deus conatibus.

M. Martinus Heinsius  
Spandoviensis.

CVILI Sophiae studes ELERDE  
Nunc demum, usque adeò fabrè resolvens  
Hujus difficiles plicas, ut omnes  
Mirentur genii mentisque acumen.  
Mirum sed mihi nil videtur isthuc,  
Nam quis posse neget graves laborum  
Moles, ac operi datas tenebras  
Hæc cum laude sequi celebriori?

εὐν: εὐν:  
αὐτοξεδίασι deproperabat

Godofridus - Fridericus  
Strasburgus.

FINIS.

05 A 311

ULB Halle  
004 209 80X

3




5b

107









2  
**Exercitationum Politica-**  
**rum, nobiliores controver-**

fias expendentium  
**S E C U N D A**

*Quam,*

D. O. M. A.

*In celeberrimâ Electorali ad Albim  
Academia*

P R Æ S I D E

**M. JOHANNES OLEARIO**

Hallens. Sax. Amplifs. Facult. Philo-  
soph. Adjuncto

*Publicè ventilandam proponit*

**CHRISTOPHORUS ELERDUS**

Berlinensis Marchicus,

*In Auditorio Minori, ad diem 23. Aprilis  
horis Matutinis*



**WITTEBERGÆ,**

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

Anno MDCXXXVI.